



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Sanctitatis futuræ argumenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

*Quæ eorum  
soboles.*

*Mater se-  
ptennio  
agra.*

*Pater, vxor  
ve mortuâ,  
Sacris ini-  
riatur.*

*Indoles Io-  
annis in-  
fantis.*

*Primus  
pueritia  
cultus.*

*Sanctitatis  
futura ar-  
gumenta.*

bus cælestibusque bonis, quàm fortunæ fa-  
cultatibus, affluentiores. Liberorum, quos  
quinos propagarunt, mares nempe quatuor,  
femellam vnã, Ioannes natu maior fuit.  
Eius mater Elifabetha Houia, femina non  
minùs pietate, quàm constanti septennalis  
morbi tolerantia nobiles, extremũ vitæ diem  
clausit Pridie Calendas Decemb. anno 1617.  
quo tempore Ioannes Societatis IESV tyroci-  
nio Mechliniæ erudiebatur. Eius pater Ioan-  
nes, defunctâ vxore, sacris se commentationi-  
bus exercuit Louanij in Collegio Societatis,  
mox Sacerdotio inauguratus, Canonicatũ in  
S. Sulpitij (Æde Diesthemij principe) est ade-  
ptus. De Ioanne commemorant (quod ar-  
gumentum indolis futuræque bonitatis esse  
possit) numquam in infantia fleuisse; num-  
quam matri, aliisve qui eum educabant, fuisse  
grauem; ne tum quidem, cum suum infantis  
caput faciesque è scabie duxisset crustam.  
A paruis cœperunt eum parentes in ludum  
litterarium mittere, vt perinde, atque ipsi pue-  
ritiam eius religione Christianisque virtuti-  
bus domi erudierant, ita in scholis Magister  
adolescenciam eius primis Grammaticæ ru-  
dimentis informaret. Annorum septem natu  
erat, cum auia aduertens puerum se multo  
semper manè eripere lectulo, interrogat, ec-  
quid ita sollicitus sit. Tum ille apertè, se binis  
ternis-



ternisve Sacris prius ministrare respondit, quàm ad ludum iret, vt benè sibi studia ver-  
tant. Quantumuis puer, numquàm rem vllam  
puerilem designauit, sed instar alterius cuius-  
dam Tobiaë, grauitatem, quam animo tene-  
ro præceperat, semper præstitit. A scholis do-  
mum reuersus, si fortè pulsata diutiùs ianuà  
excluderetur, non ille impatientius aliorum  
puerorum more strepitum machinari, sed se-  
nili quadam maturitate in vicinam ædem  
Rosarij persoluendi causâ abire consuèrat.

Cùm ægra mater annorum aliquot inualetu-  
dine teneretur, ipse necdum nouem annorum  
puer, verbis eam tam concinnis, tam apposi-  
tis, tantoque affectu plenis consolari insti-  
tuit, vt attonitas haberet circumstantium au-  
res. Decennium ingressus, præstabat iucun-  
dâ quadam acceptissimaque oris formâ, ac  
tantâ in eo comitas ex vultu, gestu, sermone,  
consuetudine eminebat, vt iam tum inde ho-  
nestissimi quique, egregiâ pueri festiuitate ca-  
pti, eum sibi dari à parente in familiam flagi-  
tarent. Ac siue ea fuerit pueri hac ætate na-  
tura siue virtus, non ferebat, vel à sacris Deo  
Virginibus, vel ab feminis vllis, virisve (ne  
vestium quidem suarum, dum dissutæ ef-  
sent, sarcendarum causâ) sese attrectari.  
Puer annorum decem alteri Magistro à pa-  
rente commendatus, tantos in Grammaticæ

*Specimen  
sanctitatis.*

*Pietas in  
matrem  
ægotam.*

*Forma &  
pudicitia  
concordia.*

*Progressus  
in litteris.*